



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. V. De Requisitis ad absolutionem a Censuris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

fessionem Sacramentalem, nec ullam cum ea connexionem habet. Quod si delegari solet talis facultas Confessario, id ex eo est, quia confessarius in quantum talis videtur idoneus ad impertiendam talem absolutionem, non quia debeat in foro Sacramentali illam conferre; esto soleat in foro Sacramentali conferri. Idem dicas de aliis formulis; Nam dum conceditur facultas absolvendi aliquem a censuris pro foro conscientiae, sensus est, quod absolvi possit pro foro interno secreto, & privato, quod opponitur foro contentioso, & publico; non vero fit sensus, quod absolvi possit solum in foro Sacramentali; siquidem, ut diximus, absolutio a censuris nullam habet connexionem cum Sacramento.

III. Demum dum dicitur, posse quis absolvi pro foro poenitentiae, non est sensus, ut notat Lezana, quod absolvi tantum possit pro foro Sacramentalis poenitentiae, sed pro foro conscientiae, seu secreto, injungendo in conscientia poenitentiam, ut advertit Suar. num. 33.; Cum enim duplex detur poenitentia, una Sacramentalis, altera non Sacramentalis, non est cur forum poenitentiae arctari debeat ad poenitentiam Sacramentalem. Nihilominus Suarez disp. 7. de Censur. n. 36. Vasq. Nav. & alii censent, quod si facultas ad absolvendum a censuris auditis Confessionibus, seu pro foro poenitentiali detur, ut per ralem absolutionem disponatur reus ad absolutionem Sacramentalem, ut accidit in Jubilaeis, non debeat absolutio a censuris extra Sacramentum conferri; quod ipsa praxis confirmat.

IV. Advertit hic Laym. cap. 7. num. 7. Religiosos privilegiatos cavere debere, ne absolvant a reservatis casibus, & censuris notoriis, si ad forum judiciale deductae sunt, aut probabiliter deducendae putantur; ut in-

dicatur in compendio privilegiorum Societatis V. *Absolutio*, ubi dicitur; Caveant Superiores, ne in usu hujus facultatis Ordinarios offendant; & admoneant poenitentes, absolutionem a censuris, si quam impendent, nihil prodesse in foro exteriori.

ARTICULUS V.

De Requisitis ad absolutionem a Censuris.

- I. *In absolvente a censuris requiritur Clericatus.*
- II. *Num possit Laicus moribundum a censuris absolvere, deficiente Clerico?*
- III. *Num quilibet Clericus, aut saltem Diaconus, id possit in absentia Sacerdotis?*
- IV. *Censura per metum gravem extorta est valida; non tamen absolutio a censura.*
- V. *Si absolutio extorqueatur per dolum, & errorem circa causam finalem, est invalida; Secus vero si per errorem circa causam impulsivam.*
- VI. *In absolvendo nonnulla requiruntur, ut valida, nonnulla, ut licita sit absolutio.*
- VII. *Cur possit Superior secummet dispensare in votis, aut juramentis; sicut potest cum aliis; non possit tamen semetipsum a censuris absolvere eo pacto, quo potest alios?*
- VIII. *Absolutio regulariter requirit praesentiam absolvendi.*

I. **Q**uaritur primo; Quanam requirantur ex parte absolventis, ut licite absolutio conferatur? Respondeo, primo requiri (praeter jurisdictionem, circa quam nihil hic addendum) statum clericalem; nam Sacerdotium tunc solum requiritur, quando vel intra Sacramentum con-

ceditur absolutio, vel vi Bullæ, aut Privilegii concedentis talem facultatem Sacerdotibus. Et sane si Clericatus jure ordinario requiritur, & sufficit ad ferendam censuram, pariter requiritur, & sufficit ad illam tollendam.

II. Putavit Glossa apud Suar. sect. 6. cum Sylvest. , Angel. , & aliis, & apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 7. , posse laicum in articulo mortis absolvere moribundum a censuris in absentia Clerici; Nam sicuti quia quilibet Sacerdos capax est absolvendi a peccatis, ideo ex concessione Ecclesiæ quilibet Sacerdos absolvere potest moribundum ab omnibus peccatis, ut consulatur animæ illius; ita quia laicus capax est absolvendi a censuris, ideo potest pariter ex concessione Ecclesiæ absolvere ab illis moribundum, ut sic magis animæ illius consulatur; Etenim absolutio illius a censuris non solum fert, ut possit corpus Ecclesiastica sepultura donari, sed etiam ut anima particeps esse possit suffragiorum.

Verum Suar. num. 8. , & alii communiter negant, hanc facultatem laicum habere, etiamsi multum conferat moribundo absolutio a censuris. Ratio est, quia neque ex jure aliquo, neque ex usu habemus, quod Ecclesia potestatem hanc laico concesserit; immo ex cap. *Decernimus, de judiciis*, alienum a jure est, quod spiritualia per laicos ministrantur.

Nec quicquam probat ratio adducta; etenim quia pertinet ad salutem æternam animæ absolutio a peccatis, ideo ne moribundus pereat, Ecclesia dat facultatem absolvendi a peccatis unicuique talis facultatis capaci; atque adeo cuilibet Sacerdoti. At absolutio a censuris non pertinet ad æternam salutem moribundi, nec trahitur ejus damnatio, si non absolvatur; & præterea potest ea conferri post mor-

tem; ergo non fuit opus, illam facultatem concedi cuilibet, qui esset capax.

III. Immo nec Clericus, nec Diaconus ipse potest in mortis articulo a censuris absolvere, juxta communem opinionem, nisi habeat specialem facultatem: Et quamvis Ugolin. , & Paludan. apud Suar. loc. cit. probabiliter putent, Clericum, si sit iudex Ecclesiasticus, (verbi gratia, Vicarius Generalis, vel Parochus nondum initiatus ordine Sacerdotali) posse in articulo mortis absolvere a censuris etiam non subditum; (nam de subdito nullum dubium est, quod possit) tamen probabilior, & communior sententia negat; Unde fit, solum Sacerdotem, præter Judicem Ecclesiasticum, posse in tali articulo absolvere a censuris; tum quia jura, quæ de hac concessione pro eo articulo loquuntur, semper nominant Sacerdotem, ut Trident. sess. 14. cap. 7.; tum etiam, quia consuetudo videtur esse, quod soli Sacerdotes moribundum absolvant a peccatis simul, & a censuris, si dat signum contritionis. Quod si ita sensibus sit destitutus, ut signum contritionis nullum det, absolvat illum dumtaxat a censuris absolute, & conditionate illum absolvat a peccatis, juxta dicta in tractatu de Sacramento Pœnitentiæ.

IV. Secundo requiritur, ut absolutio non extorqueatur per vim, aut metum. Quare absolvens debet esse liber a coactione: Quamvis enim jure naturali absolutio per vim, aut metum extorta non sit invalida; quia quæ fiunt coacte, adhuc libere, & voluntarie fiunt; unde valida est censura per metum lata, ut supra diximus quest. 1. art. 2., tamen jure positivo talis absolutio irritatur, ex cap. *unico, de iis, qua vi, metusve causa fiunt in 6*. Immo sic extorquentes absolutionem nova excommunicatione ligant.

ligantur, ut in eodem *Cap. habetur*. Et idem dicas, si solum sub conditione Judex censuram tulerit, & ante conditionem impletam per vim, aut metum cogeretur revocare Sententiam, ut notat *Suar. disp. 7. sect. 6.*

Notandum tamen ex eodem *Suar.*, quod vis, vel metus debet esse gravis cadens in constantem virum: & præterea requiritur, quod per injuriam inferatur, etiam si ab Ethnico inferretur. Quare si Judex absolutionem impendat, metuens ne a Deo puniatur, si non absolvat, aut metuens, ne poenitens sibi in posterum non conferat beneficia; cum hujusmodi metus non sint injuriosi, seu injusti, absolutionem non irritant. Ratio autem, quare censura per metum gravem lata sit valida, non vero absolutio sic extorta, in eodem art. 2. a nobis est adducta.

Ultimo absolutio extorqueri non debet per dolum, aut errorem; quia injuria irrogaretur Superiori, a quo sic extorqueretur.

V. Difficultas tamen est; Sitne invalida, an solum illicita absolutio per dolum extorta?

Distinguit *Bonac. quæst. 3. punct. 8. ex Sanch., Suar., Filliuc.* Si enim dolus, seu fraus versetur circa causam finalem, seu principalem, absolutio est invalida, utpote per surreptionem obtenta, ut habetur in *cap. Officii, de Sententia excommunicationis*; secus vero si versetur circa causam impulsivam. Quare qui, verbi gratia, mentiendi dicit Judici se satisfacisse parti læsæ, aut dicit Confessario, se esse impotentem ad satisfaciendum, & habere propositum obediendi Ecclesiæ, invalide a censuris absolvitur; quia absolvens non intendit absolvere, nisi subsistente causa finali expressa; ut patet ex *laud. cap. Officii*; Et idem dicas de hæretico, qui se fingens conversum petit absolutionem: Secus ve-

ro si dolus sit circa causam impulsivam; Verbi gratia, si mentiendi dicat se plures eleemosynas erogasse ad absolutionem obtinendam; in tali enim casu absolutio est valida, quia adhuc cum tali mendacio vere subsistit causa principalis Judici proposta.

VI. Quæritur secundo; Quænam requirantur ex parte absolventis, ut possit licite absolutio conferri?

Respondeo. primo requiri, ut sit subditus absolventis; aliter hic careret jurisdictione requisita. Ex quo fit, quod possit aliquis absolvi a delegato; quia eo ipso, quod est delegatus, habetur, ut possit illi sponte sua censuratus subdi in ordine ad effectum absolutionis; Fit etiam, quod nemo possit seipsum absolvere; quia nemo est sibi subditus, aut superior.

VII. Et sane potest Superior dispensare erga se, sicut potest erga alios, sed non potest erga se ferre censuram, aut absolutionem, sicut potest erga alios sibi subditos. Ratio est, quia absolutio est actus judicialis, qui debet esse formaliter a Superiore: Contra vero dispensatio aut in votis, aut in aliis obligationibus legitime habetur per interpretationem voluntatis divinæ, aut alterius legislatoris creati, quæ in tali, vel tali casu non creditur velle obligare; unde sicut dispensat Superior in votis aliorum, ita in propriis: At si censuram incurrat, debet alteri, si potest, potestatem dare, ut absolvatur; sicut Pontifex ipse, ut absolvatur, debet alteri jurisdictionem conferre.

Secundo requiritur, ut absolvens absolutionem petat, & ostendat se esse correctum; aliter illicite, quamvis valide, absolveretur; Etenim potest etiam invitus absolvi a censura, sicut & ab alia poena liberari, sed non expedit, nisi in aliquo casu hoc videatur ad bonum publicum pertinere.

ut

ut explicat Suar. disp. 7. sect. 7. : Ubi adverte, quod solum habens potestatem ordinariam possit valide absolvere invitum, non vero habens potestatem delegatam, in foro conscientia; nam respectu hujus requiritur consensus personæ absolvendæ, quæ voluntarie se subiciat in tali foro; aliter non est subditus, ut requiritur ad validitatem absolutionis.

Demum requiritur præsentia personæ absolvendæ, si fieri potest sine gravi incommodo, ut convenienter detur absolutio; aliter mittenda facultas alicui, ut illum præsentem absolvat, vel si ibi nemo adsit idoneus, absolvendus mittendus est ad aliquem loci vicinioris, a quo absolvatur: Quod si neque hoc fieri possit, poterit tunc absolvi absens; nam sicut absens censurari potest, ita & absolvi: Tunc autem intelligeretur regulariter absolutus, quando reciperet litteras continentes absolutionem, nisi aliter constaret de mente absolventis. Ubi advertit Bonac. punct. 4., quod Confessarius, qui aliquem absolvit ab excommunicatione reservata, a qua non poterat absolvere, possit deinde, obtenta facultate, absolvere ab illa absentem; non enim est necesse, ut absolutionem acceptet, cum hæc pendeat tantum ex intentione absolventis, statimque effectum suum pariat juxta mentem illius.

ARTICULUS VI.

De forma, ritu, ac solemnitate absolutionis.

- I. *Ad ferendam absolutionem a censura non requiruntur verba determinata; conferri tamen ea debet vel verbis, vel scriptura, non tamen nutibus.*
- II. *Num possit his verbis, Absolvo te, conferri absolutio a censuris simul, & a peccatis?*

III. *Aliquando exprimenda est causa censura ab Absolvente.*

IV. *Plura spectant ad ritum accidentalem in judiciali absolutione a censuris.*

V. *Quid servandum in foro Sacramentali?*

I. **Q**Uæritur primo; Utrum ad formam substantialem absolutionis requirantur verba determinata?

Respondeo, ad absolutionem conferendam non requiri certam formam verborum, sed sufficere quæcumque verba seu ore prolata, seu scripta, quæ significant absolutionem. Ita Suar, & communiter omnes Doctores. Ratio est, quia nullo jure probatur, quod requiratur certa forma; Ex altera parte cum absolutio detur inter homines, debet dari humano, & sensibili modo, atque adeo per verba, vel scripturam, non tamen per nutus, aut per alia hujusmodi signa; quia hoc esset contra formam juris communis, ex *Clement. ultim., de Sententia excommunicationis.* Et ratio est, quia hujusmodi signa sunt valde incerta. Solus Pontifex posset per nutus, aut alia signa absolvere; quia supremam habet potestatem, & facultatem absolvendi, non servata forma juris communis. Ita Bonac. punct. 5., Sanch., Suar., alique contra Salas; qui probabiliter putat, validam esse, licet illicitam, absolutionem a censura datam per nutus, etiam si a Præfato inferiori Pontifice conferatur.

II. Hinc sequitur, ad formam substantialem absolutionis a censura pertinere verba, vel scripturam, quæ absolutionem significant: Hæc autem verba possunt satis esse, Absolvo te, vel Reconcilio te Ecclesiæ, vel Restituo te Sacramentis, aut quid simile. Adde, illa verba, Absolvo te, satis etiam esse ad absolutionem a censuris, & peccatis simul, si proferantur ea
in-